



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Appendix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

APPENDIX.

Accidit inadvertenti in tanta congerie innumerabilium symbolarum undique & diverso tempore congestarum, ut earundem ad Typum recollectarum, alia ad dictandum segregata maturius ad manum venirent & subinde loco, cui debebantur, exciderent, qua operi deinde inserta confusam seriem annorum effecissent. Credidimus proinde conducibilibus, si partem illarum ad finem operis attingeremus, partem Auctario Menologij nostri insereremus. Paucula proinde damus huic operi convenientiora, qua plurimum doluimus in ordine operis & libri huius suis annis excidisse. Boni consules optime Lector, dum non ingrata erunt, qua haud minimum spectant intentionis nostrae institutum: accendendi Novitiorum non solum animos ad Maiorum studia, sed Seniorum quoque recentissimis exemplis animandorum & recreandorum.

ANNO CHRISTI M. DC. IX.

BENEDICTI REDIVIVI, (memorando sane rei serio agenda monumento) rerum scilicet suarum, ipse fatagit maximus Monachorum Archidux, & Religiosorum omnium Patriarcha Benedictus, qui ipso dictante Numine, & sanctissimae memoriae Antistiti Venerabili Annae de Bois Abbatisse Teneramundanae revelatione divina instructae attestacione, auxiliantibus ceteris ordinum diversorum Institututoribus, assiduis & irremissis Precibus Deum optimum Maximum quam demississimè exorans, iuxta communes Ecclesiae preces excitari in suis posteris, eandem, cui ipse inseruit, spiritum, similia quoque ceteris efflagitantibus, exauditus est pro sua reverentia, & promissum divinum accepit, id ipsum paulo post futurum, suasque quas ipse Deus dictaverat Regulas & observari ad amissim velit, & huc usque ad Regulas humanae prudentiae, & ut vocant Discretionis, à sapientibus secundum saeculum minus Religiosis haud minimum violatas merito doluerit, revocandas, nec multo post exemplis recentissimis sanctorum Monachorum accedentibus miraculis Hereses omnes eliminandas, nec prius Europae pacem & tranquillitatem reddendam, quam in sua qua Deo voverunt verba Religiosi omnes conveniant, divino spiritu animum, vires & addituro, qua ipse sapientissimè servanda dictaverat. Ut videant, qui divini spiritus tantis conatibus ausint contradicere, & laborem in praeepto fingere ad quod observandum omne suum auxilium Deus ipse pollicetur.

ANNO CHRISTI M. DC. XIX.

Vlta excessit mortali ad immortalem sanctae memoriae Iacobus Frater con-

versus Monasterij sancti Severini de Neapoli è familia Magliulorum vir planè admirabilis, exemplar singulare stupendae humilitatis, qui & si in servitio omnium esset, nulli tamen non visus venerabilis, cum omnium non solum amorem mereretur, sed omnem honorem mereri quoque videretur. Oeconomum & Cellarium sui Monasterij egit annis quam plurimis, & taliter, qualiter divinus Spiritus in Regula sanctissimo Patri nostro dictavit, largus & benevolus in omnes, soli sibi rigidus etiam contra voluntatem Abbatis in Confratres beneficis, quod illorum omnia esse diceret, & cum Abbas ipsum dehortaretur summa cum humilitate claves ad ejus pedes deposuit, & ut alteri ejusmodi imperaret, rogavit cujus eximij virtutibus victus Abbas ne Deum iuxta offenderet, ut claves reciperet, & ut videretur, liberè ageret, imperavit. Sed de vita huius prolixius in Auctario Menologij nostri. Fuit metuendus Cacodæmonibus, magnis hodiè prodigijs à Deo honoratus.

ANNO CHRISTI M. DC. XX.

COelum gaudio implet felicissimus ad Superos transitus Venerabilis Viri Iacobi de Graffijs Abbatis ex Congregatione Cassinensi, Viri undequaque Doctissimi, Canonum multo tempore Professoris eximij, omni honore longè dignissimi, singularis Casinatum ornamenti, qui plurimo in vitae rigore ætatem transfigens, non tam Virginea quam Angelica puritate, morum summa integritate, admirabili in omnes humanitate, animos omnium intuentium tantumque Virum cognoscentium rapuit. Fuit Deiparæ Virgini longè devotissimus, omne sabbatum ob ejusdem honorem in pane gregario & aqua jeunans, tantæque Tutelaræ honorem apud

apud omnes promovens, confidentissimè asserendo calū terrasque prius peritura quam periturus sit, qui serio devotus Deiparæ fuerit: Effebuit non minus in ipso divinus amor, ita ut Christo vivens ipsius passionè totus depalceretur. Vitam prolixiorè Auctuario nostro Menologij Benedictini reservamus, dignam lectione, digniorè imitatione, quam sine clausit felicissimo diem mortis prævidens & prædicens, qua felicissimè decessit anno prædicto 19. Octobris, Tertio post obitum anno elevatus prodentibus Viri sanctimoniam energumens & prodigiosè curatis, innumeris consequentibus miraculis.

ANNO CHRISTI M. DC. XXVI.

J Nestimabilis splendoris sydus cælo Empyreo infert hoc anno Firmamentū syderibus longè illustrius Italia, Hieronymum nimirum Arminicum Virum planè incomparabilem, nostræ ætatis ornamentum singulare. Virum damus uti accepimus, summâ magnorum & celebrium testium fide probatam & communicatam.

Hieronymus Neapoli parentes habuit Joannem Franciscum Arminium Regni senatorem & Aureliam Scatolam Nobilitate marito parem: quibus anno 1559. die 5. Octobris in lucem editus ad Luitrales Baptisimi Undas Caroli nomen sortitus fuit, quod ei postea in Hieronymi trāsit, dum mortuus mundo, Vitam Monasticam Panormi in S. Martini ad scalas Benedictino Asceterio felix auspiciaretur. Ut primum se Religiosa militia inauguratum vidit, ascendit ad cor altum ut honoraret Jesum, Benedicti & aliorum imitatione, quibus curæ fuit ad summa conniti, mediocria non magni facere. Remissius aliquando ad culmen veræ perfectionis properanti, ex insidiis adrepens Cacodæmon, palam populo improvitum colaphum incussit, ad citioremque gressum incitavit: inde Angelicæ vitæ & nunquam deinde intermissi, singularis cum Dæmone certaminis initium, quem ut vinceret, sibi ipsi bello indicto, ne domesticorum transfugis vires hostium augerentur, carnem quæ ad cognatum hostem facilius descisceret, cilicij asperitate, labore, vigiliis, ac inedia macerabat. Tota Vita ejus abstinentiâ mirabilis imprimis fuit: paucis duntaxat herbis vel leguminibus, bis, vel ad plurimum ter in hebdomadâ modicè sumptis, sicim sæpè frigida extinxit. Orationis studium nuspiam intermissum, ad miraculum usque, cum ei 28. horas humi stratus, & extensis in formam Crucis brachiis sæpè sæpius impenderet. Cilicio è filis ferreis, zonâ item ejudem generis, ita pungebat artus, ut aculei carnem

horrendè fodientes, ad intimâ usque penetrarent, Asperimæ dein flagellationes, somniquæ in nuda humo paruitas assiduò comitabantur. Extremam paupertatem Christi Crucifixi affixi, almæ item Dei Matris, & S. Michaelis Archangeli suis in imaginibus possessio solabatur. Humilitas profundissima oblatam sibi à Francisco Sfortia S. R. E. Cardinali opulentissimam Abbatiam, à Ranutio Parmæ & Placentiæ IV. Duce insignem Episcopatum, à Religione debitos meritis & Virtuti suæ honores constantissimè arcebat. Patientiâ se ipsum Vincens in prodigia usque erupit: percussenti se in maxillam Dæmoni, cum præberet alteram, fugere de obsessò corpore compulsi: eadem demississimi animi constantia, ab avaro medico Virtuti Sanitatum Hieronymi indignantè alapam excepit: immò iniurias benedicti rependens, pessimè tractantem se coram aliis monachum, & hanc ob causam Deo permittente obsessum à Dæmone, oratione soluit: alterius inepta & absurdissima Epistola minime commotus, sola taciturnitate pervicacem vicit & modestiâ ad veniam submissè postulandam coegit. Pari patientiæ scuto illatas sibi iniurias retundens Deo tectus plures tam inimicorum, quam Dæmonum insidias evasit. Ter porrectum sibi venenum, ter nullo vitæ periculo sumpsit: Licet nihil in eo ab æmulis etiam corrigendum occurreret, mille nihil ominis persecutiones passus, omnes teste innocentia felix evicit. Maximum cum malis spiritibus certamen, certa semper Victoria, & summum demum in eosdem imperium fuit. A Dæmone quem de Energumini cujusdam corpore Panormi pellebat arreptus, & ad altissimam fenestram ut precipitaretur sublatus, intrepida mente sese, nil potenti absque Dei permissione Cacodæmoni permittens, adegit, ut unde raptus fuerat referretur. Alias pari impetu sese in vadentem adeo compressit, ut tam à se, quam ab eo quem miserè torquebat adolescente fugere compulerit. Virginitatis ope, quam cum primo ætatis flore Virginum Regiæ consecratam, ad mortem usque in violatam integerrimamque conservavit, adeo formidabilis reprobis extitit spiritibus, ut sola sæpè nominis sui invocatione, sæpius sola presentia, tactu, aut oleo à se benedicto, sæpissime solo Crucis Dominicæ signo, nullis aliis adhibitis exorcismis, ab his quorum infederant corpora, fugaverit. Quod ei cum alibi, tum maxime Neapoli, Genue, Panormi, Mellanæ, frequentissimum evenit, ubi innumeros fanaticos instituta oratione restituit sanitati, aliaque magno numero operatus est miracula, quæ amplissimè decipra in

Pro-

Processibus de vita & gestis ejus, iis in urbibus formatis, fideque & autoritate debita firmatis continentur, & propterq; per antonomasiam, à communi vulgo Cacciadiavolo, idest Expulsor Dæmoniorum & flagellum Dæmonum fuit appellatus. Jussu Clementis VIII. Pontifici Max: claustris extractus, cum eandem Dei quam summi Pastoris voluntatem esse singulari revelatione cognovisset, Placentiam se contulit, ubi præter alios qui in vitæ ejus historia adnotantur, ipsum Parmæ ac Placentiæ Ducem Ranutium Farnesium cum serenissima Conforte; Mutinæ item Principis conjungem, Marcum Antonium Comitum Scorum cum uxore & filiis, Cardinalis quoq; Aresij neptem, à malevolis hominibus ope Dæmonis beneficiis, mentis & corporis agitudine liberavit, & reddidit incolumes. Ibi dem Parthenonis cujusdam quatuor supra viginti Moniales, oculo Dei judicio à malis exagitata spiritibus, necququam proficiente cæterorum solenni adjuratione, Hieronymus effecit ut Dæmonis confestim exuerent tyrannidem, cui soli, sacri sodalitatibus liberandi decus reservabatur. Messanæ agrum quandam fæminam invisuro, cohors militum in custodiam elata, ne à populo qui ad spectandum se innumerus occurrebat, intentum iter profæqui præpediretur: Forum ejusdem Civitatis transiens, seu in brachiis, seu in curribus deductus eo ac delatos & mutilos obuios habuit, quos omnes crucis signo: rem miram! restituit sanitati: Id ipsum fæminæ eundem per fenestram, suam misericordiam imploranti, & alteri ex alta Domus trabe par beneficiû deposcenti præstitit: quæ prodigia, subsecuta populi vox, Hieronymum sanctum acclamantis, non exiguum humiliter deservienti servo Dei ruborem expressit. Purissimi animi columbinam simplicitatem, vel ipsa in eo animalia revereri cernebantur; advolabant ad ipsius cubiculum aves, arguta harmonia orationibus ejus accinentes, nec nisi dato signo postridiè reditura avolabant. Angelo Custodi suo familiarissimus, sæpè loqui cum eo auditus est, ac in Divino Officio privatim recitando habuisse socium. In S. Gabriele Archangelum summè affectus, ejusdem frequenti visione, ac per eum cælestibus sepius consolationibus recreatus fuit. Idè Seraphinus oranti Hieronymo assistere, & luce caput perfusum in altum efferre, à personis devotis, ac omni fide dignis observatus est. Erga divinissimam mensam miro flagrans amore, Angelico illo pane 16. ultimis annis sustentatus fuit, semel duntaxat, inter 7. vel 6. septimanas modico adhibito cibo. Crucem Do-

minicam Redemptionis nostræ mysterium, nunquam sine lachrymis aspexit. Coquendos cujuscunque generis cibos eadem vel ipse signans vel ab abis signari faciens crescere in ollis fecit; quod precipuè Messanæ ab ipso factum testati sunt plurimi. Nimio solis æstu, siccato Domus in qua residebat pureo, aquam benedictione restituit. Ex Sicilia in Italiam navigio traiciens, à malis spiritibus fædam tempestatem oratione ira compressit, ut furentibus circumquaq; undis, cymba qua Hieronymus vehebatur, placidissimè incederet, non ausis fluctibus propuls accedere. Alias auditus fuit fremitus acriter dimicantium in aere Dæmonum cum Hieronymi in Italiam adventum impugnarent alij, alij promoverent à Sicilia discessum. Futura & absentia prævidens bellum Genuenses inter & Sabaudicæ Ducem longe ante prædixerat. Vitæ periculum duobus Religiosis imminens cognovit & avertit. Odoardum Farnesium Ranutij Parmæ Ducis secundo genitum, Patri in Principatu successurum prævidit. Arcanas hominum cogitationes introspectans, aliorum occultos defectus, desideria, intentiones divino illustratus lumine cognovit. His & aliis miraculis clarus cum annos 18. Placentiæ in aula Principis moratus fuisset, cognitâ quadriennio antè mortis suæ horâ, innocentem animam reddidit Creatori, Anno Domini 1626. in ipsa immaculatè conceptæ Matris Dei Vigilia; odore fragrantissimo replente omnem illam habitationem in qua servi Dei corpus depositum aliquandiu subsistit. Arca demum plumbea inclusus in Ecclesia S. Xisti à Castinatibus suis honorificentissimè sepultus est, & post mortem per pluribus ibidem miraculis claruit, uti Sufficenter narratur in vita ejus, satis fusè per R. P. Petrum Antonium Tornamiram Decanum Casinatem, &c. descripta, & præmissis Approbationibus Panormi Anno 1674. impressa.

Eodem anno 1626. Ex Italia similiter inter Superos collocatur venerabilis Vir Zacharias Cucurbicius.

Zacharias Cucurbici de Sciacca, qualemcunque generis nobilitatem, divitiarum affluentiam, sæculi honores, & totum mundi fastum Cruci Christi posthabens, Religio, sæ militiæ nomen dedit in Panormitano S. Martini ad Scalas Ordinis Benedictini Monasterio. Quam ardentè adolescentiæ florem domestica commoda, & delicias Creatori sacravit, tam constanter deinceps delicata membra inedia, ac omnigena afflictione vexavit. Mentem stavi Orationis pabulo diu noctuque pavit, & excrevit in eam sanctitatis alitu.

altitudinem quæ prodigiis meruit commendari. Vitæ quæ 85. annorū serie stetit, totā solitariū & procul à consortio hominū, in deserto loco ac Eremo, cui ab Oliveto nomen, juris Cœnobij S. Martini; sive in alio S. Joannis Baptistæ dicto, crudis duntaxat herbis, & frigida Victitans, summā patientiā, quam æstus, fames, frigus fovit, probe piequæ transegit; ibidem quo & internis illustrationum radiis, & non raro externis Angelorum Visitationibus frui meruit. Fratri suo quem Barnabā Vitæ scriptores nominant, ejusdem Cœnobij Asectæ & in eremo socio, mentis defectum passō sanitatem restituit, sibi que etiam alio nomine, sanctitatis scilicet prærogativa germanum fecit. Vtrumquæ servum Dei, magni apud Deum meriti, ingentis homines inter ob Vitæ sanctimoniam æstimationis extitisse asserit R. P. Petrus Antonius Tornamira, ejusdem Cœnobij Historiographus in Vita V. P. Hieronymi Arminij Capite folio 35. cui, Hieronymo scilicet Zacharias convixit & coætaneus fuit.

Eodem prorsus anno 1626. tertium quoquæ sydus Italiae ereptum, cœlis infertum est Venerabilis Columba Virgo Placentina, suo benè signata nomine columbina simplicitate & puritate, inter Conversas sorores S. P. N. Benedicti à Venerabili Hieronymo (de quo hoc ipso anno) cooprata & ab eodem mirabiliter instructa & cœlis formata insigni prorsus Exemplar omnigenæ virtutis, divinis revelationibus illustrata & cum ipsa animo verius in cœlis degeret, quàm terris, Cœlites ad se pertrahens, à quibus, uti domestica, frequentius est visitata.

ANNO CHRISTI M. DC. XXIX.

Mortuo meritissimo de Einsidensibus Principe & Abbate Augustino successit communibus omnium votis Vir planè cœlo dignior quàm terris, nunquam sine singulari reverentia nominandus, Illustrissimus & Reverendissimus Placidus Abbas, Archi Martyris Placidi, ut nomen, sic admirandas etiam virtutes complexus totus Virgineus imò Angelicus, è cuius à teneris etiam annis, fronte, oculis, ore, nil nisi cœleste se prodidit, ita ut animos omnium raperet soloque contuitu Numini lucraretur. Fuit in vita omni vere admirabilis, non tantum Helvetiæ universæ sed amplissimi Ordinis, ornamentum sempiternum. Cultor Dei paræ fuit singularis, ab ipsa procul dubio pro suæ in terris Residentiæ singularis Gubernatore præelectus quàm à Collegis suis, Domesticis Marianis Abbas eligeretur. Ab hac Juvenis etiamnum ad studia Dilingam transmissus, prodigiosè servatus est, cum (ut in flore juventutis florentissima erat

facie) à venere quadem impudentissima hospicio exceptus scelestissime tentatâ ejus pudicitia oclusis undique foribus mirè ereptus est, invocata tutelaris suæ opæ, cum qua erumpere tentaret, spes nulla superesset, nisi in Virginum Virginis subsidio, quo susceptus extra feras & portas repente constitutum se reperit, & divinæ Matri, quas debuit, gratias rependit. Omnia ejus Vitæ rarâ & miranda, narrare hujus loci non est, dictabit eadem quæ ipsum & amavit, & adoptavit, iis, qui sub tutela ejusdem succreverunt, & cum Placido adoleverunt, qui etsi plerique ipsum præcesserint ad Superos, posteris tamen dictaverunt, quæ tanti Principis nomen & gloriam securaræ ætati commendarent.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXIII.

P. D. Zacharias de Capograsis Salernitanus, Vir opinione omnium sanctitatis titulo celebris hoc anno Cœlestium numerum glorioso adventu auxit, ab humilitate, obedientia muta, & ad amussim Regulæ asservata, sed & abstinentiæ laudibus non tam hominibus admirabilis, quàm Cœlitibus commendabilis, inde terras despicit, non aspernando, sed patrocinando gloriosum hunc annum redens suo triumphali ad Cælos transitu.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXVII.

Augustinus à Neapoli Monachus Castinas à brevitate staturæ Augustinellus cognominatus fuit, multis spiritibus, se ipso major, licet humillimus sensu, qui tamen in oculis Dei non solum sed Superiorum Congregationis magnus, & dignissimus fuit, qui sacris Tyronibus Præficeretur, iis formandis ad amussim Regulæ ipse ad amussim formatissimus, lucrari homines doctus & tamè ineptos reiicere, nullo respectu habito personarum. Ita Cardinalis Baronij Nepotem reiicit, fervore quem non adverterat desiderato, sed non reperto nihil reveritus patruī & patroni Eminentiam. Sic alias penetrare mentium cogitationes, Tyronum maximè, tentatis mirabiliter consilio adfuit, & cum facem Sanctitatis summæque animi demissionis omnibus præferret, inter Tyrones denique non tam ut Magister, sed Tyro omnibus omnia factus, mori voluit, omnibus absolutissimæ demissionis, & profundissimæ Humilitatis exemplar factus, præcognita die obitus & prædicta familiares sibi edocens de suæ saluationis, & meritum certitudine.

ANNO CHRISTI XXXIX.

Orbi nota terris, cœlo Casinus genuit, quem Meritis, & in Sacra religione susceptis laboribus, Decani titulum & autoritatem,

rem, animi verò innocentia, sui ipsius contemptu mirabili, rigidissima item Vita, tam ante quam post obitum, famam opinionemque sanctitatis adeptus est. Continuis totà Vitã suã agitabatur scrupulis, nec illa afflictio spiritus cum prius deseruit, quàm cum anima discessum pararet è corpore. Cellerarius quoties extra Septa Monasterij versari cogeretur, Divinum officium recitaturus, sub Ultimam sese recipiebat domus contignationem, quo expeditior cum enascentibus è morosa horarum recitatione scrupulis decertaret. Fere semper orabat flexis genibus tanto Spiritus ardore, ut ei cor è corpore exilire, animusque deficere videretur. Sæpe in caelestium rerum meditatione absorptus Spiritu corpus tantisper linquente immotus ac sine sensu diutius perstitit. Flagris, verberibus in seipsum atrocissimè sæviens effuso cruore indumenta sæpius purpuravit, quod ne alicui innotesceret, prætextu deambulationis, ad aquarum secretos latices, procul hominum oculis sese conferens; insperfas ubertim sanguine vestes, manibus ipse suis abluit. Paupertatem sic amavit, nemo ut esset domi pauperior, dictitare solitus cum Regio Psalte. Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram? & cum Seraphico Patre: Deus meus & omnia. Moris habuit elemosynam indigentibus non prius elargiri, nec operariis promerita labore pecuniã ante solvere, quã fidei articulos, & cætera ad animã salutẽ pertinentia corã se recitarent atque ab eo ubi opus esset, corrigeretur & instruerentur. Officio Oeconomi amplissimã Abbatiã diutius functus, in fastidiosissimo munere nulli unquã molestus, nulli iniurius extitit. In Monasterio silentij rigidissimus custos vix in urgentibus negotijs loqui voluit & quidẽ sermone brevi atque modesto. Illud etiã Martinus rarẽ virtutis specimen dedit quod totius vitã cursum ita direxerit, ut ab omni incontinentiã labe se præstiterit prorsus immunem. Sanctitatem ejus etiã in Vita Deus miraculis confirmavit. Puerum ex alto præcipitem & cum sanguine animam efflantem, ope Divina per intercessionem S. Benedicti implorata reddidit incolumem. alium Joannem nomine ex eorum Fratrum numero quos Commissof Cassinates Vocant, febris æstu ad extrema deductum & mori parantem eadem prorsus Orationis forma pristina restituit sanitati. Vixit deinceps uterque & Vitã acceptam retulit Martino qui eam tamen ad alium referebat, asserens modestè tanti miraculi Benedictum & non se authorem extitisse. In Ultima infirmitate, instante iam corporis resolutione à scrupulis Deo miserante liberatus co-

Y y

gnita & prædicta mortis suã hora Anno Domini 1639. die 18. Junij, magna de se opinione sanctitatis relicta, septuagenarius animam suo reddidit Creatori. Adstitit morienti Zacharias Petronius Fractensis, magnum illud hoc sæculo Asceticã perfectionis exemplar, & Visam à se Martini animã, in ipso instanti mortis tanquã fulgur cæli secreta certò certius asseruit. Vide ipsius Zachariã Vitã parte 2. Cap. 8. Cætera accepimus ab ipsis Cassinatus servo Dei con viventibus.

ANNO CHRISTI M. DC.

XXXXIII.

Immortalibus adjunctus fuit Venerabilis Frater Gregorius à S. Elia, converforum statum in felicissimo Casini Montis Archisterio professus. Compendiũ vitã subiungimus. Permodicum id est ad Rapidum fluminis fontes in agro & Diocesi Cassinensi oppidum sancti Prophetã titulo atque patrocinio insigne, unde oriundo Gregorio cognomen posthac adhæsit. Parentes habuit si sæculum spectes nullo generis splendore, nulla divitiarum opulentia conspicuos, si mores probitatemque sat illustres. Exacta sub eorum oculis ætate prima, Neapolim se transtulit, ut ab alicuius artis professione sustentandã vitã media quæreretur. Ubi paucorum annorum decursu fabricam ferrariam optimè edoctus, in Patriam rediens, melioris fortunã faber, sacra Religionis habitum Cassini expetijt Fratrum Commissorum abscriptus collegio, nil antiquius habuit, quàm per semitas sanctorum inoffenso pede gradi; fuitque ei non postremum Virtutis colendã incitamentum, sodalium probitas, quorum exemplo pietatem suã acuit & accendit. Ut magna simplicitatis, ita nõ exigua sanctitudinis & innocentie fuit: castiorne vixerit, an cautior nescias: Purus & simplex ejus animus in eo vel maximè enituit, quod neminẽ unquam lethaliter peccare posse arbitraretur; evenit proinde ut reciprocus idemque de eo aliorum sensus fuerit. Quam habebat cordis munditiã, eam externo quoque corporis habitu præferbat. Modestia in eo summa elucebat, quã latentis in animo florẽ honestatis explicabat. Artem suã uti fidelissimè, ita constanter nec absq; insigni patientia annis plurimis Cassini exercuit; hucusque spectatur ibidem artificiosissimum horologium manu Gregorij affabrẽ & ingeniosè elaboratum. Naturali ad vulgarem Poesim inclinatione propendens, in Dei, Divã Virginis aliorumque Sanctorum honorem certas componebat cantilenas, quas inter operandum tacita voce modularetur, laboremque continuum Divinis leniret encomijs. Ad

al-

almam domum Lauretanam peregrinatione instituta, cū pluvium tempus esset & importunus imber incessanter omnia infestaret, Deo ac Virgine pietati clientis sui favente, sicus & prorsus intactus Gregorius cū socio incescit à quorū vel extremo villo vestis imber abstinuit. Revelationibus à Deo honoratus Jubilum Organorum, sua sponte solenni corporis S. P. Benedicti translationi accinentium una cū Zacharia Asceta pariter Cassinense audire meruit. Anno tandem Domini 1643. die 13. Septembris, cum aspera prius infirmitate patientiam suam omnibus comprobasset, inter ardentia in cælum suspiria animam suo reddidit Creatori. Quæ inter illud accidit memorandum, quod cū alij desiderium optimi Fratris & de singulis benemeriti gravius ferrent, lachrymisque etiam internum dolorem testarentur, solus Zacharias damnato omni errore lætus incedebat; inrepe stivi gaudij rationem reddere coactus id quod erat modestè tandem pro palavit: visum scilicet à se Gregorium cælum ascendere, plenumque luminis lucem aliàs inaccessibilem immigrare. Nec fuit difficile hæc tam insolita adstantibus de Gregorio persuadere quia fidem non solum in Vita, sed in ejus extremis, egregiæ virtutis exempla iam ante omnibus persuaserant. Vide Vitam P. Zachariæ parte 2. Cap. 7. Elatus est ad Cœmeterium S. Annæ & prope cornu Evangelij sepultus.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXV.

Dignissimus summa admiratione & Veneratione terris eripitur sanctæ memoriæ P. D. Zacharias Petronius Fractensis, cujus vitæ, prolixius descriptæ compendium dare necessarium duximus, & devotioni omnium commendamus.

Fractis, quod est nobile in Compania felici, medio Cajetum inter Cassinumque itinere oppidum Anno Domini 1578. pridie Idus Decembris lucem aspexit Zacharias, Parentes illi contingere pari virtutis ac Nobilitatis laude illustres. Patri nomen fuit Christophorus Petronius qui multis ex legitima coniuge Martia de Turijs susceptis liberis, huic natu decimo Damasi indidit nomen. A pia matre ad optimum quodq; virtutis genus eruditus, misericordia in primis erga pauperes futuræ prælusit sanctitati. Septennis puer de proprijs dapibus quidpiam surripiens, toto sæpè privans seipsum cibo, pauperibus subvenire satagebat. Ad nosocomiū Civitatis se conferens, infirmis libenter pius puer servitiā impendebat. Victor aliquando inter ludentes cœtaneos ova in præmium accepta Matri de-

tulisse memoratur, confectumque ex iis edulium confestim pauperibus dispensasse. Impulsu cælesti Deo Virginitate consecrata, parentum voto in clericum sæcularem attonsus est; quibus tamen non diu morem gessit, dum vocanti se Numini obsecutus in Cassinate sanctuario decimo octavo ætatis anno Religiosæ militiæ nomen dedit. A sæculari ad Religiosum statum affrens animum insignibus excellentum Virtutibus, ad sublimem perfectionis verticem, celerem intendit cursum, quem si metiri licet è legum observatione, qua salus & incolumitas vitæ spiritualis constat, & profectus augetur ad mensuram plenitudinis sanctorum; nullam unquam violasse deprehensus est regularum. Totum tyrociniannum, & quod insecutum est studiorum tempus, meditatio verum Devinarum, & mortificatio absumpsit. Donum orationis cælitus ipsi collatum adeo excellens, ut non solum à communibus avocationibus, quibus etiam perfectorum hominum mens obnoxia est, liber esset, sed ita quoque affixus cælestium contemplationi hæreret, ut exiisse extra se videretur. Sic orantem intuitus aliquando Romanæ Curiæ Prælati quidam à Clemente VIII. Pontifice Max. ad dignoscendos Cassinensium mores (quibus perversa adversariorum malevolentia ea in urbe notam inurere conabarur) ad sacrum Cænobium missus, in folio splendore circumfusum, & toto vultu radiantem conspexit: quare unius iuvenis sanctitate seniorum metiens vitam, à proposito destitit ac contra omnem adversariorum expectationem ex Judice singularis Cænobitarum Protector factus, veridicum eorumdem coram Pontifice laudatorem egit. Anno Jubilii 1600. quo 80. circiter hominum millia Cassinum accesserant, ac liberali sodalium sacri loci humanitate excepta sunt, Cellæ penariæ præfectus, Dei benignitate multiplicari vidit cibaria quæ Religiosis duntaxat sacrae Domus Oeconomus eum in annū providerant. Xenodochij, Peregrinorū, & valetudinarij curam gerens S. Benedictum specie sæcularis presbiteri Hospitalis visibiliter accedentem excepit, ab eoq; sanctioris Vitæ documentis instructus est. Tyronibus Religiosis datus in magistrū eosdem opere & sermone ad studiū perfectionis hortatus, sibi effecit simillimos, id est obediens humiles, sanctos. Aliquibus redire ad sæculum omninimò satagentibus, cælesti quadam eloquentia saniora persuadens, in proposito Religiosæ Vitæ firmavit roboravitque. Ob perspectam Vitæ probitatem & insignia merita à Capitulo Generali Aretini in Hetruria Cænobij Prior creatus, cum amo-

re humilitatis quosvis abhorreret honores, absolvi se eo officio postulavit: id cum multis rationibus Monastico senatui persuadere non posset, fufis ad Deum precibus & lachrimis tandem obtinuit. Prioris munere solutus (ne fulgeret sine præmio virtus) Abbatibus titulo insignitus est, quem sanctioris Vitæ splendore ac virtutibus, multo reddidit illustriorem: quàm acceperat. Ex quibus aliquas duntaxat hoc loci meminisse juvabit, ne singulas enarrando propositæ brevitati derogetur. A primo Religionis ingressu, ad ultimum usq; vitæ diem paupertatem rigorosissimam coluit: seu Prior, seu Abbas omnem singularitatem execratus, nihil in vestitu, nihil in mensa, nihil demum in cubiculo spectari fecit, quod Religiosam excederet modestiam; tum lætior cum inferior aliis, soloque defectu dives. Obedientiæ eximius cultor, pia aliquando exercitia ad nutum Abbatis intermittere non distulit: Dignitates oblatae ob humilitatem recusavit, indictas vero sine mora admisit, ratus eas cum obedientiæ dispendio non fugiendas esse. Fractas evocatus ut mori paranti nepoti suo assisteret, iam iam ultimum spiritum exhalaturum, (bene nihil ominis dispositum nec sine aliorum Presbyterorum præsentia) satius duxit deserendum, quam præscriptum sibi ab Abbate redeundi terminum prætergredi: cumque obediendi illum zelum, impietate interpretarentur cæteri, victurum triduo asservit, donec ipse obtenta iterû licentia ad agonisantem regrederetur: quod verum fuisse rei eventus comprobavit. Castitati conservandæ omnes Zachariæ mortificationes, omnes Vigiliæ atque Orationes impendebantur. Lascivos gestus, motusq; corporis inhonestos æquè cautus ac castus, tam in se quam in aliis severissimè redarguit. Mulierum non solum confortia, sed ne aspectus quidem admisit, quem puritatis amorè in aliis quoque entæ studuit promovere. Arcanas aliorum cogitationes mirabiliter introspeciens occultâ, eaq; periculosam Erasmi ab Anglono Cassinatis Ascetæ tentationem cognovit, opem tulit consilio, oratione avertit periculum. Novitiû præ verecundia commissum peccatû in confessione subtracentem, secretæ labis admonuit & ad pœnitendum induxit. Periclitanti alterius sodalis vitæ, cælitus admonitus auxilium tulit & necem parantem sicarium ad saniora consilia inflexit. Nec ea tantum quæ domi occultè fiebant, verum absentia etiam & longo seu loci seu temporis intervallo dislita, tanquam præsentia cognoscebat. In Fractensi S. Catharinæ Benedictinarum Virginum Monasterio, sanctimonialibus spiritualibus à se in-

structas documentis linquens, Cassinique constitutus, ac duodecim milliariibus Parthenone distans, ceu præsens esset, occultissimos earundem defectus aspexit, sæpèque periculi tam Monasterio, quàm cuiuspiam sororum imminentis, Antistitem loci admonuit. Necem fratris sui prius scivit, quàm nuncium de eadem accepisset. Alteri sodalium in lecto decumbenti sanitatem proximam, tentationes secuturas alteri prædixit, aliaque his similia, de quibus latius in Vita. Erga Deum, Dei Matrem, aliosque cælitus sumè affectus, miris inventis eorundem promovit honorem. Charitate in Proximos suspiciendus, à prima ætate ad ultimam usque senectam totum se pauperum impendit servitijs. Authoribus necis fratris, & item Nepotis sui morti adiudicatis, multis precibus Vitam à Regni Neapolitani Prorege obtinuit. Orationi adeò intentus fuit, ut dies plures & pleramque noctium partem in rerum divinarum contemplatione suavissimè consumpsisset. Jam senex superiorum auctoritate choro abstinere iussus, Canonicas preces in cella eadem prorsus gravitate, iisdem carimonijs solus recitare solebat, quibus cum alijs consueverat; hæc orandi methodo absentiam à choro supplens suam. Observatus sæpius est extensis in formam crucis manibus linquere terram, levare toto corpore sursum atq; ita diutius pensilis durare in ærè, Revelationibus illustris, præter alias cælitus sibi concessas gratias duorum sodalium Cassinensium, Martini scilicet à Neapoli, & Gregorij à S. Elia animas in cælum ferri conspexit. sermone potens plures à via scelerum ad meliorem vitam amplectendam inflexit; solaque sæpè servi Dei memoria in rigore purioris vitæ, & legum Monasticarum observatione subditos sibi tyrones continuit. Humilitate, abstinentia, cæterisq; carnis afflictionibus mirabilis nec in ultima quidem ægritudine ciliicum deposuit. Latè sparsa sanctitatis servi Dei fama, plures ad videndum eum Cassinum excivit, quos inter adfuit & Medinæ Princeps Neapolis Prorex ac cum eo conjunx & tota Regni curia: qui ante Zachariæ pedes prostratus, se, filios, Patriam, Regnum demum ipsum ejus orationibus commendavit. Quoties in publicum prodiret, innumeram multitudinem benedictionem suam implorantè obviam sequacemq; habuit. Aliquando Fractis ab Ecclesia rediens lacer domum regressus est, vestem & scapulare a vidè scindente & discerpente devota plebe, subreptaque particulas religiosius conservante. Opinionem hanc pii populi prodigia comitabantur atque fovebant. Cæco homini visum oratione restitutum.

stituit. Alteri servi Dei conspicilia clausis oculis admoventi idem beneficium concessum est. Monialem Fractensem in Partenone S. Catharinæ oleo è lampade ante Almar Dei paræ imaginem ardente liniens sanavit. Eidem iterum periculose decumbenti, stragulam vestem suam commodans, restituit salutem; quæ quidem in partes deinde scissa certissimi ad omnis generis infirmitates depellendas antidoti loco ibidem à pluribus hucusque tenetur. Duci Laurei zanæ diu sterili prolem à Deo impetravit: Alteri sæpius inanimem foetum edenti oratione subvenit, aliàsque innumeras seu partus difficultatem, seu defectum lactis patientes foeminas, benedicto à se pane iuvit, & afflictas consolatus est. Complures alij ex omni sexu atque ætate mortales, qui varijs & gravibus decumbebant affecti morbis, Zachariæ precibus convalescere protinus, quos inter, bini solius aliquando Epistolæ ab ipso scriptæ tactu, pristinam receperunt sanitatem. Sæpius oratione pluviam advocavit, avergit tempestatem, aliæque magno numero patravit miracula, de quibus latius in ejus Vita. Tandem & ipsam viam universæ carnis ingressurum, mors paratum per omnia invenit; hanc gravis ægritudo præcedens, ultimam induxit scenam, in qua patientia luculentæ suas egit partes. Obijt decimo septimo Kalendas Januarij Anno Domini 1645. Antequam capulo componeretur corpus, dum paratur de more ablutio, inventa sunt genua, callis extuberantibus conferta, quæ diuturna humi pressio extulerat. Funus elatum religiosa modestia, quod tamen ingens populi concursus magnificum effecit. Exciti recordatione sanctitatis quam plurimi popularium, osculari manus, admovere rosaria, ejus patrocinium implorare non cessabant; etiam plura ausi, frustula vestium abscindere, capillos, & ungues evellere, extrema digitorum forcipibus, miraculis sanitatum paulopost initium data, adeo, ut subducendum fuerit periculis majoribus corpus, ac ruenti turbæ subtrahendum; quod tertia ab obitu die tumbæ cupressinæ inclusum, ne confunderentur ejus ossa mortuorū, catastæ, in distincto sepulchro depositum est, Quidquid vivens attigerat, post decessum pro liptanis habitum habeturque. Mortem subsecuta miracula vivi sanctitatem comprobant. Neapoli à Dæmone obsessa mulier, tactu pileoli servi Dei mansit libera. Princeps Boteri fæmina pia, quod vivente Zacharia nō potuit, eo mortuo uti prædixerat vivus, lumen oculorum recepit: & alibi aliæ ad invocationem servi Dei mortalibus concessæ gratiæ, quibus ejus sanctitas adæo inclaruit, ut au-

ferendi sui capitis (cum totum corpus non posset) & majoris honoris ergo ac reverentiæ alio transferendi occasionem dederit hospitibus quibusdam Religiosis: qui tamen errore lapsi, Angeli Sangrini Abbatis olim Cassinensis æquæ sanctimonia illustri Viri, sacræ verticæ pro Zachariæ clam acceptum in Lithuaniam ad Castro Cassinense Anno Domini 1664. extructum Cænobium detulerunt, ibique clarum prodigijs hucusque conservatur. Zachariæ verò corpus cum annis triginta duobus in priori jacuisset sepulchro, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Severinus Pepi, sacri Monasterij Cassinensis Abbas, & ejusdem Diocesis Ordinarius, multis titulis olim Patri Zachariæ obstructus, suarum partium duxit thesaurum absconditum effodere, & in honoratiorem tumulum transferre: quod Anno Domini 1677. ipso die sacri Paschatis feliciter præstitit, præsentibus ibidem [præter innumeros alios Religiosos] septem Reverendissimis diversorum Cænobiorum Abbatibus, tum & Notario Apostolico, à quo de Actu translationis confectum Instrumentum Publicum habetur in vita Vener. servi Dei, quam à R. P. Dominico Jameo Soc. Jesu Theologo auctoritate Eminentissimi Cardinalis Caraccioli Archiepiscopi Neapolitanj, & à Carolo Celano Canonico Neapolitanæ Ecclesiæ jussu Politici officij revisam, coram eodem Eminentissimo habita Congregatio approbavit, imprimique permisit, quemadmodum impressa fuit Neapoli Typis Antonij Gragnani Anno 1678.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXIX.

Ad supera accersit bonum Numen coronari meritum Venerabilem P. D. Bernardum Anglo Casinatem Monachum, qui patri sui Præstoni Martyris consilio Cassinum pergens, ibidem fidei dogmatibus benè institutus, Monachum postea professus est, singulari dono contemplationis & orationis à Numine honoratus totusque absorptus. Ad Albanetæ devotissimum recessum, R. R. PP. Societatis Institutore amicissimum, cum socijs se conferens, totus ibidem in Deum raptus, Collegis redomitionis hora ipsum anxie quærentibus nusquā apparuit, donec ipse in medio ipsorum appareret. Exemplar sanctitatis omnibus fuit, & sæcularibus miraculis Dei amorem instillavit, non sine miraculorum gloria vitam mortalem desinens quibus usque hodie illucescit. Vitam in Auctario Menologij dabimus.

ANNO CHRISTI M. DC. L.

Beatissimo fine cursum vitæ consummat Illustrissimus Princeps servus Dei humillimus

mus

mus D. D. Bernardus Mutus eloquentissimus apud Majestatem Divinam Orator S. Pauli propè Urbem Romanam Monachus, cujus vitam breviter descriptam subiicimus.

Bernardus ex Ducali Mutorum familia Romæ genitus, ab ineunte ætate, cum Virtutes omnes, tum imprimis animi corporifque virgineæ puritatem coluit, quam ut illasam tutius conservaret, relicto amplissimo Principatu, qui ei primogenito jure comperebat, ad Religiosâ claustra se transtulit, sacrifque Benedictinis in Romano Divi Pauli Cænobio initiatus est, professionem emisit Anno Domini 1610. die 29. Novembris. Inprimordiis conversionis sola ei summaque ambitio fuit Deum diligere, & in ejus amoris præmium amando crescere. Noctis etiam silentio suavissima cum eodem colloquia miscere solitus, vix aliquid corporeæ indulsit necessitati. Beatissimam Virginem Mariam unicè diligens, tam indulgentem ad vocatam habuit, ut nihil ferè à Deo peteret, quin ejus intercessione impetraret. Vir toti Romæ ex Natalium virtutisque claritate notissimus, Principum, Cardinaliumque aulas rarò, nec nisi vocatus adibat. Parentes ipsos non nisi pialicujus negotij causa invisere solitus; serio affirmans: se minimo etiam temporis momento indigere ut aternitatem lucraretur, procul à Principum familiaritate & aulæ utu. Quos semel cum sæculo spreverat, constanter in Religione honores recusavit; vixque Abbatis titulum, non auctoritatem, obedientiæ præcepto restrictus admisit. Quæ quidem obtemperandi voluntas in eo mirabilis fuit: Laicis etiam Fratribus summa cum animi demissione obedire consuevit, ijque loco cedere, & prima? ubique tribuere: quippe qui se nullius inter homines meriti aestimabat; opus fuit ut majores rei conscij, nimio se demittendi studio modum ponerent, ne sacerdotis persona quam gerebat, Abbatis etiam titulo insignior, contemptui esset, & sui despicientia, in injuriam cederet publicæ dignitatis. Studiosissimus paupertatis cultor, etiam Abbas, nulla omnino curiosâ suppellectili in cubiculo suo pretiosus spectari voluit, rara tantum parietibus pendebant affixæ sanctorum è simplici charta imagines, fovendæ pietatis gratia, & mentis ad superos revocandæ. Miserrimum quemque studiosè complectebatur, seque ipsum pauperum obsequio & servitio dedicans, miras ad id bene præstandum excogitabat artes. In decora ejus oris specie, adeò sanctitatis fulgebat color, & quoddâ Angelicæ lumen integritatis, ut intuentibus, cum cæterarû virtutû, tum præcipuè pudicitia?

amorè quasi afflaret. Dæmonibus summè formidandus, eos humanis pellebat corporibus, ea facilitate, quam maximis sanctis à Deo concessam legimus. Nullum omnino ænergumentum suscepit curandum, quem non liberum sanumque demiserit. Odium inde malorum spirituum in se concitans, ab ijs dirissimè sæpiùs cæsus, in cubiculo sanguini suo semimortuus innatans frequenter repertus fuit. Semper tamen post plagas fortior, animarum hosti, usque adeo tremendus extitit, ut ne præsentiam quidem ejus ferre potuerit. Continuis tandem jejunijs, laboribus, carnis afflictionibus & annis exhaustus ad extrema devenit, mortisque falce præcisus beatiorem vitam vivere cœpit. Cadaver venerabile Pontificali habitu ornatum, in sacrosancta Divi Pauli Basilica triduo stetit ostentui populi, magna frequentia ad idem visendum confluentis, & pia oscula manibus libantis. Illius asperrimum cilicium, & retis rigidis horrida nodis, quam scapularis instar nudo applicabat corpori, pro sacris habita pignoribus, hucusque in Reliquario ejusdem Patriarchalis Basilicæ religiosissimè aservantur; alia afflicti corporis instrumenta, alijs cessere viris illustribus. Corpus ad cornu Evangelij Altaris S. Benedicti cupressinæ arcæ inclusum, distincto ab alijs tumulo conditum est. Tabulam plumbeam sepeliendo corpori apposuit Rev. mus P. D. Cornelius Margarinus, notus ob Bullarium Cassinense in lucem editum toti mundo Vir, in qua vitam diemque obitus servi Dei breviter annotavit: quemadmodum ipse mihi asseruit, simul cum alijs RR. Patribus S. Pauli antiquioribus Cænobitis, à quibus tamen de die & anno mortis quidquam hucusque rescire nequivimus. Certum nihilominus est, servum Dei post annum 1650. obiisse.

ANNO CHRISTI M. DC. LIII.

JTerum Italia ex simplici quidem Fratrum conversorum studio, & studio felicissimum cursorem, ad bravium remunerationis æternæ, magno cum coelitus plausu mittit venerabilem Virum Philippum à Monte Scaglioso, qui contemptis calcatisque, non mediocribus, parentum opibus, & delicijs mundi humillimum conversorum institutum in Augustissimo Casini Archisterio professus, ad cellissimos divinæ contemplationis apices conscendit, ab exercitio Dominicæ Passionis totus extra se raptus, ut somni cibique fastidians, nihil nisi Christum exambiret. Is Divinæ Matris amore tractus cum ad ædem ejusdem Lauretanam iter cum socio intenderet, medias inter pluvias uterque servatus ita est, ut nec vestes uno in pilo immadescerent. Moritur in

Z z

expli-

explicabili plausu laticæ præferens signa, cæ-
lites obvius salutare visus inter oscula dulcis-
sima Crucifixi, quem manu gestabat extre-
mum exhalavit spiritum 18. Decembris.

Eodem 1653. uti Italia & Gallia flore pri-
mæ væ sanctitatis exsplenduit alia quoq; Reg-
na Redivivum Spiritum in se magni Patriar-
chæ experta sunt, & revera Asia quoque atque
Africa ignes è lopitis quali cineribus novos
prodidère, Gallia tamen & Italia, quin & Hi-
spania, uti jam vidimus insigniter gloriosè &
abique invidia certavere.

Nec minus quàm Italia atque Gallia, Ger-
mania quoque Redivivi in se Benedicti exem-
plaria quàm plurima orbi Christiano redhi-
buit, Helvetia in primis, quæ ut militaris glo-
riæ celeberrima fama jam ante Christi ineu-
sabula præ alijs Nationibus ad hanc etiam us-
que diem orbi univèrsò innotuit, ita non mi-
nus triumphalibus sacræ militiæ armis ex-
splenduit, tantòsque Heroes cælo ipsi specta-
biles protulit, ut quàm latè firmamentū Hel-
vetiam contegit, haud pauciores; nec minus
lucidiores syderibus illis cœlestibus inferue-
rit. Certè S. Galli Archisterium, uti jam ante
annos octingentos vetustissimo Scriptore te-
ste concinere potuit:

*Continet hoc sanctum Sanctorum millia tem-
plum, & hoc quidem non externorum, Ro-
mæ, seu aliunde allatorum, sed domestico-
rum, ita continuare frequentiam illam & bea-
titudinem usque hodiè nunquam desit, memo-
rabilis ad omnem æternitatem tam sanctæ con-
tinuationis exemplo; uti & Einsidense Matris
Admirabilis peculiare Domicilium, quæ uti
primitus ibidem suæ habitationis fundamen-
ta jaciens, congreginavit semper illud Eccle-
siæ decantatissimum: in plenitudine Sanctorum
detentio mea, sic detinetur & hodiè totaque ex
Europa peregrinos convocat salutis remedia
apud Marianos suos domesticos quæsituros &
inventuros, ut revera quod Italiæ Cassinum
est, Gallijs Cluniacum, hoc Germaniæ sit S.
Galli Asceterium: quodque Italiæ Lauretum,
Hispaniæ Mons-Serratus, hoc Teutoniæ reve-
ra sit Einsidense Monasterium. Ut nihil de
alijs dicam felicissimæ ejusdem Congregatio-
nis Monasterijs; Fabariensi, cujus gloriam To-
mo secundo & tertio Germaniæ nostræ de-
scriptimus, quodque hodiè ceu Redivivum
Phœnicis instar è suis consurgens cineribus,
duplicis beneficio Bonifacij in conatus pri-
mæ vi insurgit fervoris; Disertinense autem,
ut frequentia auctum, sic & virtutū splendore,
ut non deserti tam nomen præferat, quàm
horti, Paradyfi fontibus irrigui, audire merea-
tur: gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Sa-*

ron, &c. Muri autem Argoviæ altiores firmio-
resque hucusque, quàm ut mundi insidiæ illos
scandere seu frangere possent, sacræ discipli-
næ firmamentum perpetuò retinent: uti &
Rhenovii sive Rhenaugiæ dignitas & sancti-
tas Rheno undique circumclusa, vocati tamen
à Numine Gustavi Bernardi Principis Baden-
sis virtutum splendoribus attracti sibi meruit,
vitæ sanctioris initia, & ad primævum fervo-
rem, institutionem; Mons autem Angelorum
nunquam desertus ab Angelis usque hodie in
concentus eisdem domesticorū suorum cælo
detrahit; & Beinwilerense nihil jam ossium
habet nudorum, quod ad insignia sua referat,
pridem jam spiritu, quem suspexerat Ezechi-
el, insufflatorum, excitatorum, animatorum.
Et quid mirum, excitatos ad Matrem viventi-
um excitantis potentissimum suffragium que
in petra durissima sibi cœliis designatum e-
legit Domicilium, domesticos sibi deligens ex
ossibus Beinville veteris, magna prodigiorum
ostensione evocatos.

Fischingenste, quid memorem, ante om-
nia alia celebrandum, antiquitate nulli secun-
dum, solius S. Blasij Herciniæ gemellum, quod
ipso sanctissimo Patriarcha nostro sæculis ali-
quot prius antiquitate, ex cunis & crepundijs
Christiana fidei enatum, primis Apostolorū
tempori proximis Asylum Christianis om-
nibus præbuit, & sinu suo recepit innumeris
Sanctorum pignoribus et si profundè sub ter-
ra latentibus felicissimè initiatū & consecra-
tū fuit, ut merito Religiosi illius loci ab ex-
urgente inde à tam sanctis pulveribus primæ-
vo Christianæ sanctitatis calore, non possint
non effervescere, & mirificè animari; ut haud
immeritò locus ille sacrariū dici possit, Tur-
goviæ sanctæ, quàm Reverendissimus Domi-
nus Abbas Joachimus juxta alia primæ vi spi-
ritus Benedictini signa & argumenta, haud ita
pridem in lucem edidit, totamque Turgovi-
am sibi obligavit & posteritati commendavit.
De Monasterijs Virginum nihil dico, quæ sub
Fideli tutela tantisque Virorū exemplis, Ama-
zones imitatae haud minus Heroibus prælia
Domini, contra mundū, carnem, & cacodiæ
monè plus quàm viriliter etiā hodiè pugna-
re comprobantur.

ANNO CHRISTI M. DC. LII.

EXemplar tantæ, de qua loquimur, Hel-
vetiæ gloriæ, hoc ipso anno ad cælos ex-
ambitum Helvetiæ ereptum, Pius Princeps &
Abbas S. Galli fuit, non ex piorum Principe
inter Romanas familia, sed multo eminentio-
re cum sanctis cœlitibus gemella, eminentior
eminentissimis, profundissima animi demis-
sione cum sublimissima conjugata eruditione.

Vite

Vita ipsius cælis proxima semper incessit (nimirum ut Enoch & Noë, semper & ubique cum Deo ambulavit) suum S. Galli Monasterium, secum quoque extulit, antecessorem suum sanctissimæ memoriæ Bernardum, lactea & melliflua erga suos sacra adoptione filios ita scite imitatus, ut non minus, à morte ipsius quæ hoc anno inhiantissimè desideranti obvenerant, velut ablactati infantuli deploraret, tota lugente Helvetia atque ordine imprimis tantum sydus sibi ablatum, etsi cælis insertum, usque hodie & Filij & tota Provincia glorientur. Succenturiatus felicissimo Archisterio est Gallus, eo Nomine verè secundus, tunc Decanus ejusdem loci felicissimus, quem communis lactei gregis amor ad secundissimos primi Galli successus, & conatus, elegit alterum antiquissimi fundati à primo Cænobij ex fundamentis Fundatorem & Restitutorem. Ita asserturis omni posteritati, ipsi lapidibus, & amplissima structura, in qua quidem, etsi plurimum operæ navarit, & industrie ostenderit, multo plus tamen in vivis lapidibus, & sacra illorum compositione industrie ponit, eoque usque sacra etiam molis ædificium deduxit, ut haud minus Religionis sub Gallo secundo, quàm primo, orbi præferat univervo. Habuit sub Pio idem Archisterium Pios plurimos, Pij sanctitate, haud inferiores, è quibus Ven. P. Udalricus Hengarter, ejusdem loci Decanus plurimis annis, haud inferior, à quo nomen sortitus est; S. Udalrico, prisca sanctitatis Heroibus nulla in re cessit, Martyr non minus voluntarius, quàm alij Tyrannorum persecutione, ut de alijs nihil dicam, quorum exemplis sua coæquat studia, hodierna posteritas minimè præpostera, juxta Theologica studia adnectens, tam pie, absque invidia emulatione, sub Gallo secundo, secundiora sibi omnia pollicentes & experimento animadvertentes.

ANNO CHRISTI M. DC. LXXIII.

Cœlum non minus quàm terras admiratione implet Puella planè admirabilis, digna admirabili parente Benedicto Filia, tenella admodum ætate lectissima Christi sponsa, nuptijs æternis matura Elisabetha sive potius Elisabethula Tripedi Christi anno 1653. Cinnæ in Opido Dioceseos Panhormitana, haud ignobili nata, ipso festo S. Ursule & Sociarum, quàm instinctu planè divino pragnans eadem felicissima Mater, Numini sacrandam destinaverat, in labores jam tunc edendam, cum genitricis ubera lacte vacua infantulam ad aliena ubera remittere cogerentur, etsi non diu, summo Virginum Virginis beneficio, voto ad S. Mariæ Novæ templum edito

cælitus lac mereretur. Et splenduit miram quàm primùm ex tenellula gratia, & divini Numinis splendor quidam emicuit rarissimè in ipsa operationis, quæ cum ætacula mirè adolevit, si tamen adolescere potuerit in ea, quæ ad adolescentiam non perigerit. Quinquennis adducta in Cænobium Virginum nostrarum, ubi primùm Divi Benedicti contempexit habitum, omnem alium mundi ornatum fastidians, clinodia, & quæcunque ejusmodi penes se habuit, per fenestras rejecit, & quanta potuit instantia ab Antistita loci sacra se indui veste efflagitavit, & meruit. Admirationi omnibus tantillula fuit, dum tantam maturitatem in facie omnium præfetulit, ut exemplo etiam senibus esse possit, formata jam tunc ad amulsum Regulæ, & cæcam etiam, si jussa fuisset, obedientiam, commemoratione passionis dominicæ ita affecta, ut jam tunc ad omnia se tormenta ultro offerret, & quibuscunque à se excogitatis supplicijs tenerimum corpusculum excruciarer; ita ut instrumenta, quibus torquere se consueverat, auferenda ab ipsa essent, & ramen concedenda, quibus absque noxa liberius uti posset. Septuennis ob instantiam ejusdem ferventissimam sacra Synaxeos usus concessus eidem fuit, quo tantoperè exarsit, ut nemo non tanti Sacramenti virtutem in ipsa divinitus operantem ex oculis, vultu, totius corpusculi gestu cum admiratione animadverteret. Miraculum certè ipsa suæ ætatis fuit, & contemplationis gratia, gratiæ vehementia, extra se sæpius raptata, inque terras concidens, è templo ad Cellam suam à sororibus deportata fuit, donec sibi redderetur. Deiparæ Virgini summoperè devota fuit, & peculiaris quædam ejus colendæ argumenta adinvenit, erat ut compatiens Christo, sic ægris & afflictis omnibus, ut pro omnibus ea libentissimè sufferret, eaque pateretur, sic damnatam ad poenas graviores soliditatis sororem, piè miserata, instantissimis precibus ad omnes pro eadem ultroneè suscipiendas se obtulit, & cum nihil impetraret, tres integras horas lachrymis diffuens Deum exoravit, impetravitque, ut nihil plagarum damnata sentiret, quod & ipsi promissit, quæ & postea confessa est, nil prorsus doloris se perensisse. Immortalis Sponsus Sponsulam hanc suam in amplexus æternos nimium desiderans mortalibus abreptam diutius à se abesse minimè passus est, sed cum nonum expleisset annum, eam paucis mensibus lectulo affixit crucis suæ, inter acerbissimos dolores nihil questam, sed in sola oscula & æternos amores mentem defixam, ipso in decessu tantæ lætitiæ ea præferentem signa, ut facile ad-

verte-

verteres, talia intueri, quibus potiri mox certa erat, inter Angelorum occursum dulciter confopita, animula choris illorum inter solennes cantus & planus confociata, ac celestibus prodigijs à sponso honorata, quo ipso anno solemniter votis monasticis Deo renata est. Miracula inter mox ab obitu sacri tyrocinij Magistræ, gravissimo quo laborabat morbo, liberavit, & patri suo [secundum seculum] Philippo, nec non matri asthma laborantibus prodigiosè sanitatem restituit. Quæ & multa alia prolixius in vita ejus memorantur. Decessit 30. Aprilis, Martyribus voluntarijs accensenda, cruciatibus spontè assumptis, quos inter, ne pedes quidem nihil paterentur, calceolis suis duriora semina inferuit, ut non sine magno dolore Crucifixum suum sequeretur.

Eodem anno, eodemque in Cænobio sanctè in Domino requievit Ven. Agatha de Volti ex Opido Bivonensi orta, quæ non sine magna sanctitatis opinione sub Regula S. P. N. vitam extraxit, & nominis à morte immortalitatem meruit, die vigesimo Julij ad Cælos subtrahita.

Quo ipso loco sororem ejusdem Ordinis agens hoc ipso tempore, Maria de Roccaforte magnis non solum virtutibus emicuit, sed & eximijs, cum in vita, tum à morte miraculis à Deo fidelium devotioni commendata, fuit, super cujus sanctioris vitæ actibus solennis inquisitio, & ut vocant, Processus instituitur. Legendus Tornamira noster in Vita ejusdem.

ANNO CHRISTI M. DC. LXX.

Ipso profesto summi Monachorum Archiducis Benedicti decima Julij verè rediivus ad triumphos & latus tanti patris sui jungitur, evocatus è terris & Einsidlenfi magna Matris Archisterio Placidus ejusdem Abbas Princeps Marianâ Reginâ dignissimus, magnis sanè titulis, ut virtutibus, ad omnem posteritatem celebrandus. Is uti Benedictum Patrem verè per omnia Admirabilem, vitæ expressit mira imitatione, sic Matris quoque Virginis Benedictæ viscera in se ipso continuit, & pietate verè materna, non erga suos tantum, sed erga pauperes quoscunque gessit & exhibuit, ex cujus ore nil nisi Divinum, dignumque tanto Principe excidit. Fuit patientia admirabilis, nunquam sui dissimilis, imperturbato ut semper animo, sic vultu, fronte semper serena, ore modesto, ipsis quoque moribus, nil nisi placidum referentibus, ita ut quicunque ipsum intuerentur, tanquam Dei Angelum revererentur. Varijs pro juribus Dei paræ conservandis, ærumnis & vexationibus tentatus,

erga adversarios ita se habuit, ut erga amicissimos, ægerrimè ferens, si quis de ipsis male loqueretur, tali tolerantia, quæ canonizari mereretur. Proximis ante mortem mensibus omnibus se curis abdicans, soli Numini summâ industriâ vacavit, & Angelorum Reginæ totum se servitijs addixit, cum Angelis deinceps obsequijs certare visus, totamque ipsi gubernationis suæ commendare administrationem. Febri denique correptus, tali ad supremam dormitionem devotione se disposuit, tali fervore extrema Sacramenta suscepit, ut nemo satis intuitum miraretur, donec felicem animum Creatori transmitteret, ingenti quàm primùm concursu hominum factò sacrum corpus venerantium & linteolis contingentium, non sine miraculorum aliquot evidentiissima demonstratione, è quibus parvulus graviter ægrotus, mirè convaleuit, & non nemo è Cantonibus capitis dentiumque gravissimis doloribus acriter laborans, subitum curatus est. Nec dubium haud minimum & inceptus posse ad suum confugiennes tumulum, & subsidium invocantes adjuvare. Successit felicissimæ electioni procul dubio patrocinate Matrefamilias Augustissima Einsidlenfi Augustinus, magno Aurelio Augustino, cæsi post tot secula, uti nomine, sic eruditione nulli nostrâ ætate secundus, hæresumquæ felix profigitor, ejus procul dubio, *quæ cunctas Hæreses sola interemit in universo mundo*, patrocinio & subsidio, Romanæ Ecclesiæ deinceps etiam, insigni cum Ordinis & primæ gloriæ ostensione operam navaturus. Assurgit summa ejusdem industria, generosissimique conatibus, Augustissimæ Cælorum Imperatricis, Augustissima Basilica, in magnum splendorem Hæreticorum oculis invisum, toti Helviæ gloriosum, in asylum perenne, ad Auxiliatricem Christianorum respicientium & confugientium, in perenne etiam pietatis tanti Præsulis, & Principis monumentum, cui de hoc ipso nunquam satis gratulamur, successuque felicissimos apprecamur & ominamur.

Et quæ non signa, quæ non argumenta, quæ non experimenta hoc ipso tempore, Benedicti in suis Rediivi sunt eadem ipsa, quæ cum primævo Ordinis instituto orbi universo bona evenere, à literarum profanarum non minus quàm sacrarum promotione, cum ipsorum etiam Hæreticorum testimonio primæ omnium scholæ & Gymnasia in Monasterijs originem habuerint, in quibus una cum studijs virtutum & sanctitatis omnes adeoque & felicitatis iacta sunt fundamenta, ita verò hodiè, si ullo unquam tempore aut sa-

Eulo; eadem non solum efflorescunt, sed fructibus quam dignissimis, beant Europam universam, ita utrix ullum celebrioris nominis, & fortunæ extet Cænobium, in quo non Humaniora solum studia, sed altiora Philosophiæ, Theologiæ, quin & Canonum, aliæque quæcunque ad eruditionem solidiorem spectantia certatim suscipiantur, & promoveantur, quin & ad Universitates toto terrarum orbe celeberrimas tales extrahantur professores, qui cum omnium sæculorum eruditis comparati, etiam in admirationem summam abrepturi sint omnem sæculorum posteritatem, eujusmodi nostra ætate Parisiensis, Salmanticensis, Dolana, & pleræque aliæ tota Europa Universitates gloriano ostentant, & nos paucos è plurimis hujus decursu operis commendavimus, celebraturi longè plures, nisi modestia Religiosa supersticum non permitteret, & rubor verecundus pro hiberet. Certe quod olim Fulda, Hirsaugia, Cluniacum, Casinense, Cavense, aliæque præcis sæculis Archisteria, suis quæque Regnis ac Provincijs æterna cum nominis gloria fructuque Provinciarum incomparabili præstitere, præstant, superantque multis partibus hodiè pleraque, cum Galliarum, tum Hispaniarum, sed & Germaniæ nostræ Monasteria, S. Galli, Einsidlense, Campidonense, Weingartense &c. Quorū illud nuper ex cineribus Phœnicis instar mirificè resuscitatum, in augustiorem prima fundatione splendorem excitatum, Quatuor Virorum S. R. I. Prælatorum Principum numeros omnes explet, in hoc Fuldæ superius hujus Ascetis litterarum professionem, Cathedrâsq; in exteros commendantibus, ipsi generosissima nobilitate viri, ut & Religione cultissimi in suas partes trahunt veteresque imitati Ascetas, nihil se dignius ducunt, quam nobilitatem Religionem que eruditionis laurea coronare. Et quid dicam de sacrarum promotione litterarum, & divinorum imprimis voluminum religiosissima, & dignissima conservatione, ad confusionem, & damnationem Hæreticorum sempiternam, dum quantis fraudibus, scelere, & infandis diabolicisque conatibus Falsarij illi Scripturarum, in corruptendis Biblijs, detrucandis, totis libris, totisque capitibus dies noctesque laborant, nostri impuritate eorundem, & incorrupta veritate asserendâ expensas ingentes faciunt, plurimumque operæ insumunt, innumeras penè Bibliothecas, tantis thesauris implendo, ut in una sæpe earundem ad viginti, ad triginta, pluræque sacrorum voluminum Exemplaria, quingentos, sexcentos, sæpè octingentos, pluresque ætate Scriptoris annos

excedentia ostentent, quibus omnibus secundum capita, sententiâsq; verbatim inter se comparatis manifesto appareat orbi, & posteritati, universis, quanta fide, quantaque animi calamique synceritate incorruptissimam veritatem, verbique divini dictamen posteris conservârint, dum inter paucissimos sæpè annos Hæretici eadem toties ediderint, sensu verbisque corruptissima, Deo ipsi ejusque verbo, in quo tantoperè gloriantur, inexplicabili perfidia, adversantes, etsi possent, omnia Numinis dictata scelestissimè exsufflantes. Et qua intra duodecim ab initijs Ordinis sæcula corruptio Bibliorum, consequi debuisset, si pari modo, adeoque perfidè, uti nunc dicti falsarij Biblia tractassent? que uti & sanctorum Patrum scripta verè Religiosi religiosissimè, & purissimè, uti semper venerati sunt, etiam posteris transmisere, & conservare. Ita ut planè non possit non constare cælo non minus quam terris quantum hodiè debeant industriæ nostrorum & fidei in tanto thesauro tam cautè, tamque castè fidelibus custodito, & asservato. Nec minus argumentum Redivivi in suis Benedicti hodiè est ipsius tam, quam filiorum sancta Hospitalitas, innumeris, recentissimisque diversissimorum Cænobiorum exercitio quotidiano comprobata, sed & à Numine etiam miraculis commendata, hujusmodi exempla aliquot ipso hoc Opere dedimus, & Casini inexhausta liberalitas, ut & Montis-Serrati neminem non peregrinorum in magnam rapiunt admirationem. Certe Montis Serrati Archisterium in stuporem rapiens Europam universam, oculato testes suæ Hospitalitatis innumerabiles habet eosque inter sexcentos summa nobilitate & potentiâ Principes, quorum plurimi seriò sunt attestati omnes suos reditus in tot mortalium alenda millia minimè suffectura, si totos subinde occurrentium quasi exercitus sibi alendi essent, ac præcipuè si quivis prodignitate Familiæ & muneris sic excipi, & tractari deberet. Ut reverà eò loci res se se habet, stupentibus ipsis ejusdem Archisterij Religiosissimis Ascetis ad servitia hospitem designatis, cum non nisi prodigiòse, omnia ad manum affluere cernant, & quicumque eò currunt eòque inter subinde etiam Hæretici non possint non attoniti tantum aspiciere miraculum ex quorum maximi nominis Viro oretenus intellexi, nunquam religiosius de miraculis Catholicorum sensit, & in Calvinismo suo fluctuasse, quam cum ibidem tridui hospitiò usus esset, cumque ægre inde se divelleret, octiduum totum in urbe Montis subjecta admirationis gratiâ ne dicam Religionis.

nis, substituisse. Casini liberalitas, & ipsa quotidiana redivivè semper primavæ charitatis anno jubilæi millesimo sexcentesimo quinquagesimo ultra septingentos hospites cum plausu excipiens, eosque inter magni nominis, cum sacros, tum profanos, ita omnes pro dignitate resectos, & admiratione attonitos à se dimisit, ut qui discesserant, nunquam satis & religionem loci, & liberalitatem deprædicarent. Quid si S. Justinæ de Padua aliorumque, per Italiam Cænobiorum effusam in pauperes liberalitatem deprædicare tentem, quid si aliorum Hispaniæ Cænobiorum? quid si Cluniaci, Luxovij, aliorumque Galliæ Monasteriorum? quid si Germaniæ etiam nostræ, tam superæ quàm inferæ, Helvætiæ, Sveviæ, Austriæ innumeras & penè immensas largitiones! ego sanè ipsius præsens interfui, cum in celeberrimo illa & splendidissimo Superioris Austriæ Cænobio Cremphanensi anniversaria Fundatoris memoria memorabili sanè unius diei in pauperes eleemosynâ, aliquot supra sexaginta grandi mole & pinguedine boves mactati, virgines in pauperes distribuerentur, addita cuique magna panis, farina, & vini portione, cuiusmodi largitionem summam, si in sola Germania nostra adnumerare, & quasi coacervare conarer, opus quidem tentarem laboriosum satis, sed quod non solum magnos Principes, sed & Reges haud minimum percelleret & in Benedicti adeo clarè in suis Redivivi raperet æstimationem. Quid si ad aliorum me convertam tota Europa opificum, Civium, vicinorumque Cænobijs sustentationem, quorum opificia & labores tantum merentur mercedis, tantumque pecuniæ & alimentorum, quod ipsum vel cogitare solum, cuius rem pensulatius attendenti facile erit, cognoscere. Ad altiora ascendo, à pauperibus ad ipsam quoque Nobilitatem, in qua etiam hodiè & elevanda, & sublevanda se se totum in suis Redivivum, impendit, & superimpendit liberalissimus in omnes Monachorum Archidux Benedictus. Certè in Germania sola, quanta, ut olim, sic hodiè, conferre in Nobilitatem, non Equestrem solum, sed Baronum, Comitum & Principum consueverit beneficia, integrum & benè magnum Volumen requireret, ita ut vel sola enumeratio Familiarum plura sexcentis, imò mille, hisque ipsis multo plura folia requireret, quæ Benedictinis Cænobijs amplissimas sæpè ditiones, Præfecturas, & bona penè innumera in beneficium accepta etiam usque hodiè possident, iisdemque summa cum utilitate liberorum seræque posteritatis, liberalissimè fruuntur. Memini in Benedictina Aquila, quan-

tis beneficijs Nobilitas, à solo Divitis Augiæ Cænobio affecta sit, ita ut ultra sexcentos Beneficiarios & Feudatarios numeraret, & quos non ejusmodi aluerunt olim, aluntque hodiè vetustissima, Illustrissimæque Cænobia S. Galli, Tegernsensem, Einsidensem, Campidonensem, Fuldense, Murbacensem, aliaque plurima, certè solum S. Lamberti, in Superiore Styria, quanta non quantæque æstimationis Dominia, Urbes, Oppida, Arces, amplissimæque Possessiones in nobilitatem etiam summam Baronum, Comitum, Principum, quin & Archiducum contulit, quibus usque hodiè fruuntur plerique, & quamdiu quidem ritè agnoscunt, cum superna Numinis, & Sanctissimi Patris Benedicti solidâ benedictione, ita ut de hac multo plus quàm bonis ipsis, & honorum possessione sibi possint polliceri, uti & vereri, ne, si beneficio tanti Patris abutantur, & ceu propria absque benedictionis agnitione usurpent, maledictionem mereantur pro benedictione. Certè ex Hæreticis plurima plurimi ita sacrilegè sibi usurpant, nec calamitatum suarum causas animadverunt, dum innumeris assidue interea maledicti execrationibus fluctibus iactantur, imò merguntur, huiusmodi exemplum universa Europa infelicissimum Angliæ Regnum præfert, postquam tot bona, totque dona tanti Patris à quo sanctæ fidei & innumerabilia alia recepit beneficia, sub Apostata Rege Henrico VIII. abligurivit. Fructus abligurationis & pestifundationis tantæ ex eo tempore, illi fuerunt, qui usque hodiè, decumanis fluctibus longè majores innumeram pestem, Britannia induxerunt, cum præfatus Rex ad omnem æternitatem detestabilis, suum profanum caput (convenientissimum utique detestabili Ecclesiæ) imposuisset, impia Jezabel Eliäberth illa suum impurissimæ Meretricis imposuit, & Natalem suum Virginum Virginis loco Calendario infernali invinxit, & rempublicam tot Hæresibus involuit, ut deliria Angliæ nec simplicissimi quidem genij homines admirentur donec succrescentibus Ecclesiæ tam miseræ & miserandæ longè pluribus, quàm Lerna infernalis caputibus, superioribus annis attonito ad paricidium inauditum, Orbe universo, in hoc unum convenientia tot capita, caput Ecclesiæ suæ pro Theatro publico solemnissimè obtruncarunt. Secutū unū ex altero malū, ut tot inter se collisa capita haud immeritò in Vesaniâ versâ innumera sibi Hæresum dictamina præfigerent, & à Cerbero infuso sibi cerebro, & inspirato huius quoque acti spiritu, in suamet ipsi viscera grassarentur, & sola proscripta è Britannijs, sancta veritate, Guaggerorum

innumerabilium Monstrorum feritate in caedes perpetuas, odia, dissidia, & Verbi Divini corruptissimas depravationes toti se effunderent, donec Rege denuò sibi imposto, quisque tamen Rege Majorem se crederet, Et latè circumspiceret innumerabilibus ex indè consequentibus Regni perturbationibus ac deinceps consequentibus, donec cum suo Proto Apostolo Cantuariensi Augustino, & qui hunc miserat, Maximo Ecclesiæ Doctore Gregorio & utriusque Archiparente Divo Benedicto, nec non cum S. Thoma, Cantuariensi item Archipræsule, è caelis ad Tribunal suum (res infanda prorsus & abominanda?) stultissimè & nequissimè citato & multo nequius damnato, tanto post reconcilientur, & pro maledictione, quam experiuntur quotidie atque utinam causam expenderent! mereantur benedictionem. Experiuntur hoc ipsum mali plurimi non solù ex Hæreticis rerum Ecclesiasticarum, & maximè Divi Benedicti, sacrilegis pervasoribus, & detentoribus, sed experti etiã sunt feri illorum posterii qui in detenta ejusmodi, ab Advocatis maximè Monasteriorum qui Beneficia in ius suum iniquissimè transtulerunt & usque hodiè sacrum profano non discernentes Benedicti in suis Redivivi potentiam nec agnoscunt nec reverentur, quibus utinam Deus meliora inspiret ne tam præfidenter & insipienter, ac quasi securè, iram Dei præstolentur. Sed misos faciamus pridem à cælo ipso excommunicatos & divinã sententiã damnatos acephalos & tamen tot sententiarum, quot capitum Anglos Hæreticos aliosque omnes sacrilegos rerum Divi Benedicti Pervasores. Ad alios Redivivi in suis Beneficiarios sermonem convertamus. Ex his innumera perè studiosorum Juvenum multitudo est in fundatis iam olim, & in hodiernã usque diem, incredibili sumptu conservatis & frequentatis, Collegiorum, Gymnasiorum, Scholarum, & ejusmodi ædium, in Italia, Hispania, Gallijs, Superiore & Inferiore Germania quorum iam aliqua memoravimus, & sexcenta memorare possemus, in quibus non sine maximis sumptibus Nostrorù incredibilis penè numerus Juvenum ad virtutem non minus quam literarum studia tanto tempore educata, & honestissimè tractata, etiam usque hodiè ad boni publici promotionem alitur, & egregiè instruitur. Vt nihil dicam de nobilitatis Equestris non minus, quã altiorum & illustriorum, minus tamen proprio sumptu ad studia, aliaque nobilium exercitia sufficientium, quorum plurimi non sine magna admiratione Benedictinæ liberalitatis Prælatorum Nostrorum munificentia ad di-

versas missi nationes benè instructis loculis uti & artibus non sinè magna gloria Laribus Patriis sunt redditi ad maximum nobilitatis & Familiæ ornamentum. Novi ipsius magni nominis Prælatum, qui supra quadraginta magna nobilitate Juvenes, & multis plerisque annis taliter aluerit, memorabili sanè fructu Benedictinæ liberalitatis. Revixit non solum in feris filijs, sed perpetua successione filiorum, ingentium à puero Benedicti Parentis in Benedictam Matrem admirabile devotionis studium, continuatum æquè nostræ ætate, atque superioribus omni ævi sæculis, ita ut meritò omnes Benedictam Matrem præ Benedicto Patre, inexplicabili adamarent studio colerentque adeò ferventer, ut non possent non ipsa quòque se se totam in amplexus eorum effundere, & se se tota virtute piissimæ maternitatis communicare. Ita nullum prorsus toto terrarum orbe reperire erit Monasterium sive Deiparæ à prima fundatione dedicatum, sive Sacello aliquo, sive statua miraculosa, seu etiam ab antiquo memorabili concursu populorum frequentatum. Prodigiosa reverã res, ut Ordo universus de hac re sibi ante omnia gratuletur. Et revera, si Italiam, si Hispanias, si Gallias, si Germaniam utramque, quaqua versum inspicias, deprehendes miracula Virginum Virginis Benedictæ Matris, in Benedictos suos, & Benedictinos Benedicti Patris filios absque numero infinitate quasi quadam liberalissimæ suæ misericordiæ distribura & largissimè effusa; imò gratiam ejusdem & favores tantoperè omnium animos præoccupasse, ut non aliter postremo hoc sæculo de tantæ Matris promovenda gloria universi & singuli allaborent, ut desertissimus sibi quisque à semet ipso sibi esse imaginetur, nisi certatim quasi certamine inito quivis in novo excogitando cultu tantæ Virginis tantæque Matris alius alium antevertere, & priorum sæculorum omnium, studia omnia, inventiones omnes, labores omnes, quam longissimè superare comprobetur. Ita Mont-Serratensis, Cassinensis, Cluniacensis, Cisterciensis, Camaldulensis, Fontis Ebraldi, Bursfeldensis, innumera alia Congregationes, Monasteria Einsidlense, Camberonense Mariæ-Cellense, Todtmosenense, & sexcenta solius Germaniæ evidentissimis signis comprobant, Cæli Reginam, terras etiamnum suo regimine, & beatissima, in suis Benedictione, nunquam destituisse, nec destitutam esse, cum ipsa à se potius, quam à Benedicto Patre, Benedictinam appellari Familiam, jure meritissimo contendat, & etiam evincat, Ipsamet Archi-Cancellario suo Divo Alano, id ipsum

sum afferente, & demonstrante, comprobata
hac ipsa Veritate demonstrationibus penè in-
finitis, atque innumeris tantæ gratiæ, tam in
Monasterijs, quàm Ascetis mirificè quotidie

operantis, adeoque Benedicti Patris, præ-
mæri Mariani feruoris, in seris filijs, exas-
descensitis, uniuersumque orbem
accendentis.

*Collegij Socii Jesu paderbornæ
1697.*

F I N I S.

Benedictus

1697